DISSERTATIO
DE
Stylis Veterum,
ET
Diversis Chartarum generibus.

by Sr. John Clerk, Baron of the Exchequer in Scotland

BRITISH MUSEUM
30
OCT
73

BRITISH MUSEUM
30
OCT
73



1 & 2 Styli qui ab aliquibus Fibulæ vocantur.
3 Stylus.
4 Theca graphiaria ex ære.
5 Stylus.

Literis A.B.C. pars Styli designatur quæ ad delenda scripta inservibat.

DISSERTATIO
DE
Stylis Veterum,
ET
Diversis Chartarum generibus.

CUM ex scriptis antiquorum, velut ex fontibus, omnes ferè artes & scientiæ manaverint; operæ pretium nobis videtur instrumenta quædam studiosis rerum antiquarum apponere, quæ scriptionibus antiquis inserviisse colligimus.

Veteres, ante pennarum usum, instrumentum ad scribendum adhibebant, quod à Græcis γραφὶς, vel γραφιον,

à Latinis STYLUS, vel GRAPHIUM, appellabatur: inde Ovid. lib. I. Amor. Eleg. II.

Quid digitos opus est graphium lassare tenendo?

& de stylo sic loquitur Cicero, *Cedat forum castris, otium militiæ, stylus gladio.*

Styli interdum ex auro, argento, ære, fabricabantur; sed vulgariores fuerant ex ferro, vel ossibus.

Forma eorum varia fuit, sed in hoc omnes conveniebant, ut ab imo acuti essent, & à summo plani & obtusi: igitur Symposius, Æn. I. stylum hisce versibus optimè describit:

De summo planus, sed non ego planus ab imo:
Verso utrinque manu, diverso munere fungor:
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

Pars acuta styli ad scribendas, seu veriùs ad exarandas, effodiendas, vel incidendas literas inserviebat: igitur interdum hoc instrumentum γλύφιον à Græcis, & à Latinis *cælum*, & *celtis*, à *cælando*, vocabatur.

Pars altera styli, quæ plana erat, ad delenda, corrigenda, vel obducenda, & mutanda ea quæ scripta fuerant, inserviebat; inde à Philosophis interdum *pars melior styli* appellabatur. Itaque D. Hieronymus, *Stultus ego, qui me putaverim hæc absque Philosophis scire non posse, qui meliorem styli partem legerim quæ deleret, quam quæ scriberet.* Quod ad scripta mutanda & corrigenda attinet, officium hoc est eorum, qui opera tersa & limata in publicum edere volunt: itaque præceptum hoc aureum ex Horatio habemus, lib. I. Sat. 10.

Sæpe

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus : ——————

cæterum, *vertere ſtylum*, proverbialiter interdum dixerunt Romani, quando ea quæ prius affirmata vel negata fuerant, in contrarium ſenſum poſtea proferebantur.

Diximus ſtylos vel graphia quædam ex ferro vel ex oſſibus fuiſſe. Qui primi generis erant, ſæpe pro pugionibus utebantur. Igitur Suetonius in vita Julii Cæſaris, cap. 82. *Cæſar Caſſii brachium arreptum graphio trajecit.* Idem quoque in vita Caligulæ, cap. 28. *Caligula, cum diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornavit qui ingredientem curiam, repente hoſtem publicum appellantes, invaderent, graphiiſque confoſſum lacerandum cæteris traderent.* Seneca, lib. 1. de clementia, cap. 14. *Erixionem Equitem Romanum, quia filium flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit.* Eodem ſenſu ſtylus uſurpatur à Cicerone, in oratione pro Muræn. *Etſi meus ille ſtylus fuiſſet.*

Styli ex oſſibus, ut minus acuti & periculoſi, inter pueros & mulieres obtinebant, ne ſcilicet in rixis alii alios vulnerarent, vel confoderent.

Attamen ferreis ſtylis, ut videtur, occiſus fuit Caſſianus à pueris ſuis : nam Prudentius Hymn. 11. de Caſſiano Martyre hæc habet,

Inde alii ſtimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur :
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.
Hinc foditur Chriſti confeſſor, & inde ſecatur :
Pars viſcus intrat molle, pars ſcindit cutem.

Tabula noſtra ænea ſtylos aliquot, nuper in Scotia prope Vallum Antonini Pii repertos, exhibet: nam quod ſtyli ſunt potius quam alia inſtrumenta, ex ſequentibus intelligi poſſit; quæ judicio lectorum relinquimus.

Quæ Num. 1 & 2. notantur, ejuſmodi ſunt, quæ perperam à Montfauconio fibulæ ad connectendas veſtes appellantur. Hic doctiſſimus vir de his opinionem ſuam dictitat verbosâ ſanè pertinaciâ, nam hæc habet. "Non "multis excutiam depellamque eorum opinionem, qui "hactenus putaverunt hujuſmodi fibulas ſtylos eſſe ad "ſcribendum: nec defuere inter viros doctos qui eam "propugnarint ſententiam: res enim eo proceſſit, ut ex "Muſæo Petavii, quod publicatum erat Anno 1610, "manus hominis repræſentata fuerit cum hujuſmodi ſty-"lo ſcribentis: ſed cum ex illo tempore magnus ſtylo-"rum numerus emerſerit ex tenebris, errore illo levati "ſunt ex Antiquariæ rei ſtudioſis multi, puto paucos "hodie eſſe qui ita exiſtiment.—— Nam ſtyli, quibus "olim ſcribebant erant virgæ acutæ, multoque longio-"res fibularum aculeis."

Sed his non obſtantibus, Petavio vel ejus editoribus accedimus: manum ſcribentis in tabula appoſuimus, eaque inſtrumenta ſtylos eſſe putamus: nam quod longiores ſtyli fuerint fibularum aculeis parum ad rem facit, ſiquidem alii longiores, alii breviores fuerint ad libitum utentis. Viri militares interdum cum pugionibus ſcribebant, & inde voces *ſtyli* & *pugiones* confundi cœperunt. Sed qui pacis artes colebant, ſcribæ ſcilicet, notarii aliique privati ſtylis procul dubio utebantur, qui pro pugionibus vix uſurpari poterant. Cæterum hic vir doctiſſimus, ſi ad marmora antiqua & ſtatuas ſuas veſtitas attendiſſet, quarum aliquot centenas refert, ne vel unam

earum

earum inveniſſet, cujus veſtimenta hiſce fibulis ſuis cincta, vel ornata eſſet: quod ſi alii aliter ſentiant, Græcos & Romanos ſuos ita cinctos habeant, non invidebimus.

Nunc ut in deſcriptione noſtrorum ſtylorum pergamus. Ex ſumma parte ejus qui notatur num. 1. aculeus exiit, qui ad formam aliquorum cultellorum, quibus hodie vulgò utimur, ita in imo condi & involvi poſſit, ut procul à periculo ſine theca graphiaria geſtaretur. In ſtylo altero, num. 2. fractum aculeum illum habemus, ſed in utroque locus ille planus ad literas A & B. conſpicitur, adeo à Philoſophis decantatus. Verùm ad lit. A paulò imperfectior videtur; reſtat enim ſolummodo clavus, qui partem illam ad delendum ex alia materia factam retinebat. In eo tamen, ad literam B, omni pulchritudine conſpicitur ea pars, ex teſſeris ſcilicet parvulis variegatis, ad modum operis muſivi confecta. Porro ſtylorum alter diverſis coloribus incruſtatus, alter in quibuſdam partibus argento diſtinctus cernitur.

Figura tertia exhibet nobis ſtylum perfectiſſimum, nam præter cuſpidem acutam, locum habet illum planum ad lit. C valde conſpicuum. Figura quarta exhibet thecam graphiariam ex ære, in qua condebatur ſtylus, num. 5. notatus Operculo clauditur, quod clavi quædam ſpecies figurâ avis ornati affixum retinebat. De hoc autem ſtylo dubitandi magis locus eſt: nam etiamſi inter inſtrumenta militaria vix adnumeranda ſit, attamen ad auguria captanda inſerviiſſe potuerit, ſub nomine *extiſpicii*, quo augures animalium exta explorare ſolebant. At ſi inſtrumentum hoc quoque ſtylum eſſe pronuntiaremus, haud multum aberraverimus; cum enim thecæ graphiariæ in uſu fuerint apud veteres, hanc noſtram ejuſmodi fuiſſe, & uſum inſtrumenti in ea conditi denotare, vix dubitamus.

mus. De thecis istis graphiariis ita loquitur Martialis, lib. 14. Epig. 2.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro,
Si puero dones, non leve munus erit.

Et Suetonius in vita Claud. cap. 35. *Et vix remisit ne cuivis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur.*

Diximus stylum interdum pro instrumento ad scribendum, interdum pro pugione ad vulnerandum & occidendum usurpatum fuisse, nunc & aliam significationem dabimus; nam frequenter ad formam & methodum rei scriptæ & tractatæ, sive structuram verborum, transferri solebat. Hoc sensu loquitur Terentius in Prolog. And. *Dissimili oratione factæ sunt & stylo.* Cicero de clar. orat. cap. 45. *Orationes Attico stylo scriptæ*; & Plinius, lib. 1. Epist. *Stylus pressus & demissus:* & hanc quoque formam loquendi Britanni atque aliæ gentes plures ad suas linguas transtulerunt.

Nunc ad chartarum genera, in quibus scribebatur, veniamus. Chartæ omnium antiquissimæ fuerant corticeæ, membranaceæ & pugillares. Veteres primum in corticibus arborum scripserunt. Igitur Isidorus, lib. 6. orig. cap. 14. *Liber est, interior tunica corticis, quæ ligno adhæret, in qua antiqui scribebant:* de qua Virgilius, Ecl. 10.

——*Alta moriens liber hæret in ulmo.* *

unde & *liber* dicitur in quo scribimus, quia ante usum chartæ, vel membranarum, de libris arborum volumina fiebant.

* In aliquibus editionibus legitur, *aret in ulmo.*

fiebant. Hujus chartæ paucæ reliquiæ hodie supersunt, nisi papyrum Ægyptiacam speciem ejus esse agnoscere-mus.

Papyrus apud Græcos Βύβλος vel Βίβλος vocabatur, & inde libri Βίβλοι, vel Βιβλία nominantur. Facta erat hæc charta ex planta quæ pelliceas tunicas habebat multas: eæ, testante Plinio, acu separabantur, & deinde ita conglutinatæ, ut firmitatem acquirerent, & ad scripta retinenda aptæ redderentur. Ars conficiendæ papyri floruit maximè Alexandriæ, ut innuit Hadrianus Imperator in Epistola sua apud Vopiscum, *Civitas opulenta, inquit, dives, fecunda, in qua nemo vivit otiosus; alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur.*

Ex papyro librorum quædam fragmenta in Bibliothecis inveniuntur; & hujus generis est Evangelium S. Marci, quod Venetiis conservatur.

Chartæ membranaceæ dicuntur, quæ ex pellibus animalium conficiuntur: pelles enim vel subigebantur ad modum earum, quibus pro chirothecis utimur, vel ut pergamena moderna parabantur. Primi generis chartæ vulgò apud Judæos ad leges Mosaicas exarandas locum obtinebant. Inde vox, *volumen*, desumpta, eo quod pelles istæ convolutæ fuerant, sicut hodie in quibusdam locis inveniuntur. Sed vulgarioris usûs erant membranæ, quas Varro & Plinius volunt Pergami primum confectas fuisse ex æmulatione orta inter Ptolemæum Ægypti & Eumenem Pergami Reges circa Bibliothecas suas. Nam cum Ptolemæus papyrum Ægyptiacam exportari prohibuisset, Eumenem tradunt membranaceis libris Bibliothecam suam composuisse. Verior tamen opinio mihi videtur, Eumenem non auctorem membranarum fuisse, sed earum usum frequentiorem reddidisse, &

hac

hac de causa membranaceam chartam vulgo *Pergamenam* dictam fuisse. Igitur ante illorum Regum tempora membranas in usu fuisse apud Herodotum invenimus, ait enim, *Iones & aliarum gentium homines in membranis caprinis & ovillis scribere solitos fuisse.* Tradit quoque Josephus, lib. 12. Antiquitatum, " A Judæorum " summo Pontifice missos ad Ptolemæum senes libros " sacræ legis expectantem, membranas suis involucris " extractas ostendisse, aureis literis perscriptas, tenuitatis " admirandæ, ac sic compositas, ut visu discerni com- " missuræ non possent." Ex quo loco videtur membranas etiam ante Ptolemæi tempora in usu apud Judæos fuisse. Ad antiquitatem membranarum facit quoque hoc proverbium, *Diphthera antiquiora.* Vid. Erasmum: nam à Græcis membranæ διφθέραι appellabantur: & hujus generis sunt codices fere omnes antiqui, qui in variis bibliothecis conservantur.

Pugillares etiam ab antiquissimis temporibus obtinuisse certissimum est: igitur Homerus Illiad.

Πέμπε δέ μιν Λυκίηνδε, πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ,
Γεάψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Sed misit ipsum in Lyciam, deditque is literas pernicioſas scriptas in tabella complicata animæ exitialibus multis. Idem apud Romanos testatur Plautus, in Bacchid. A. 4. S. 4. *Effer citò stylum, ceram & tabellas.*

Ex varia materia erant pugillares, scilicet ligno quovis, citro, buxo, etiam ex ebore & membranis cerâ obductis: unde *tabulæ ceratæ* interdum vocabantur. Igitur Martialis, lib. 14. Epig. 3.

Secta

Secta niſi in tenues eſſemus ſigna tabellas,
Eſſemus Libyci nobile dentis onus.

Epig. 5.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Et in Epig. 7.

Eſſe puta ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis quoties ſcripta novare voles.

Colore etiam diverſæ erant, prout cera rubra, lutea, viridi, crocea, alba, &c. liniti eſſent: ita facile exarabantur ſtylo, & deinde ſcripta ea quæ minus placebant, ſtyli parte plana & obtuſa mutabantur, vel delebantur. Sed & pugillares, & rationem in iis ſcribendi, optimè deſcribit Athelmus in hoc ænigmate,

Melligeris apibus mea prima proceſſit origo,
Sed pars exterior creſcebat cætera ſylvis:
Calceamenta mihi tradebant tergora dura:
Nunc ferri ſtimulus faciem proſcindit amœnam,
Flexibus & ſulcis obliquat adinſtar aratri.

Pugillares interdum ex auro, argento, ære vel plumbo factæ erant, & tum ſtylo ferreo ſcriptitatum fuit: namque literæ ſculptæ & inciſæ potius videbantur quam ſcriptæ: igitur ex antiquiſſima Scripturarum ſacrarum verſione hæc habemus in libro Jobi, cap. 19. ver. 24 *Quis mihi det, ut exarentur in libro, ſtylo ferreo, & plumbi lami-*

na, vel celte, sculpantur in silice? Apud Plinium volumina plumbea memorantur, sed eorum pauca in bibliothecis hodie conspiciuntur.

Pugillares vulgò duabus paginis, ternis, aut quinis, vel pluribus constabant, unde *duplices*, *triplices*, *quintuplices*, vel *multiplices*, appellabantur: Græci διπτυχα, τρίπτυχα, πεντάπτυχα, & πολύπτυχα dixere.

In diptychis & triptichis cera illitis scripta fuerant solummodo ea quæ ad usum familiarem spectabant; sed in cæteris, omnia quæ chartis vel membranis committi solebant. De hisce primis intelligenda sunt hæc ex Ovidio, lib. 1. Amor. Eleg. 12.

Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ
Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tanquam minio, penitus medicata rubebas.
Ille color vere sanguinolentus erat.

Et hæc quoque ex Prudentio in Hymno de Cassiano Martyre,

Conjiciunt alii lapides, inque ora tabellas
Frangunt; relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina.

Pugillares aliquando *palimpsesta* vocabantur, à Græcis παλίμψηστοι, à ψάω, *tergo*, *abstergo*: nam palimpsesta ita fabricabantur, ut scripta in iis facile abstergerentur vel delerentur: quare Cicero ad Trebatium, lib. 7. Epist. 18.

18. *Nam quod in palimpsesto, laudo equidem parcimoniam: sed miror quod in illa chartula fuerit, quod delere malueris, nisi forte formulas tuas; non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas.*

Hæc de chartarum generibus antiquissimis sufficiant: nam ad posteriora secula referendæ sunt chartæ linteæ & bombycinæ. De linteis ita loquitur Plinius, lib. 13. cap. 11. *Mox & privata linteis confici cœpta.* Et ex Vopisco in vita Aureliani patet in Ulpia bibliotheca libros linteos extitisse.

Charta bombycina à Græcis Βομβύκινη dicta fuit, ἀπὸ τοῦ Βομβύκος, à *bombyce*, sive *gossipio*, Anglicè **Cotton**; ex qua materia conficiebatur: sæpe autem *bombycina* pro *serico* usurpatur, ut ex Plinio constat.

Ex charta bombycina tandem pervenit usus & opificium chartæ, qua hodie vulgò utimur, ex pannis scilicet linteis contritis: & hanc annis abhinc sexcentis obtinuisse credimus.

In his omnibus chartis, nisi pugillares excipiamus, calamo vel arundine, & postea penna, scriptitatum fuit. Igitur Plinius, *calami Ægyptii maxime & Gnidii chartis serviunt.* Hi calami vulgò junci fuerant, ex Nili ripis excerpti, & ad scribendum aptati. Græci calamis ex Perside allatis scribere solebant, Sed & calami argentei interdum in usu erant: namque his & Patriarchas & alios plures scripsisse vulgatissimum erat. De penna hæc habet Isidorus, lib. 6. cap. 14. *Instrumenta scribæ* calamus & penna; *ex his enim verba paginis infiguntur, sed* calamus *arboris est*, penna *avis, cujus acumen dividitur in duo.* Imo ad prisca tempora penna ab aliquibus refertur, ait enim juvenalis, Sat. 6.

Anxia præcipiti venisset epistola penna.

Nisi hic *penna* figuratè pro *ala* dicatur, & celeritas epistolæ potius quam instrumentum qua scripta fuit, intelligatur.

Liquoribus ex diversis coloribus literæ adnotabantur, sed inprimis atro, quod *atramentum* vocabatur, Græcè μέλαν, vel μελάνιον. Variis modis à veteribus confectum erat, scilicet interdum ex succo loliginis, vel sepiæ; interdum ex fuligine fornacum ac balnearum. Apelles nigrum colorem ex ebore combusto fecit, quod aliquando *Elephantinum* vocabatur. Apportabatur etiam Indicum attramentum ex India, *exploratæ inventionis*, ut ait Plinius, lib. 35. cap. 6.

Tituli capitum & articulorum, & sæpe librorum inscriptiones minio, sive rubro purpurcoque colore notabantur; igitur Ovidius,

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Hinc tituli legum Romanarum vulgò *rubricæ* appellabantur. Igitur Paulus in l. 2. § reciperandæ, ff. de interdictis, *Reciperandæ*, inquit, *possessionis causa interdicta proponuntur sub rubrica*, unde vi. Et Juvenalis, Sat. 14.

——— *Perlege rubras*
Majorum leges. ———

Purpureus color, species erat rubri eximia. Apud Byzantinos scriptores in magno usu erat, & Κυάβαεις dicebatur.

tur. Erat cinabaris liquor ex cocto murice & trito conchylio, vel ex muricis ſanguine, ut Plinius vult. Hoc colore Imperatores fere omnes antiqui utebantur, eo nomina in vexillis inſcripta habuerunt, eo ſæpe ſcripſerunt, purpura veſtiti fuerunt, & frequenter purpura inſigne erat Romanorum magiſtratuum. Imo adeo invaluit vox, ut *induere purpuram* pro ipſo Imperatorio munere fungendo acciperetur. De his omnibus multa paſſim apud veteres habemus. Nam, ut obiter dicam, poëtis uſque adeo placuit hic color, ut quicquid eximium eſſet *purpureum* diceretur. Hinc Horatius, lib. 4 Ode 1. cygnos, licet ſua natura candidos, *purpureos* vocat,

Purpureis ales oloribus.

Idem quoque de nive dictum invenimus, & inde crediderunt aliqui purpuram quoque albam fuiſſe. Namque Xenophon Cyro fuiſſe ait χιτῶνα πορφυρᾶν μεσόλευκον: & huc referenda ſunt verba Anacreontis Αφροδίτη πορφύρεα, *Venus purpurea*. Porro & viridis color aliquando in ſcriptionibus uſurpabatur: nam qui in ſpem imperii nati fuerant, Imperatorum ſcilicet & Regum filii, vel eorum tutores, hoc colore ſcripſerunt.

Liquore etiam aureo ſcriptitatum fuiſſe ex multis codicibus antiquis manifeſtum eſt: ſed qui plura de ſcriptis veterum cognoſcere volunt eos ad Mabillonium *de re diplomatica*, & *Palæographiam Græcam* Montfaconii, remittimus.

FINIS.

O/SRAO